

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen:

Iam Magnus transisse deos Romanaque fata
senserat infelix tota vix clade coactus
fortunam damnare suam. Stetit aggere campi,
5 eminus unde omnes sparsas per Thessala rura
aspiceret clades, quae bello obstante latebant:
tot telis sua fata peti, tot corpora fusa
ac se tam multo pereuntem sanguine vidit.
Nec, sicut mos est miseris, trahere omnia secum
10 mersa iuvat gentesque suae miscere ruinae:
ut Latiae post se vivat pars maxima turbae,
sustinuit dignos etiamnunc credere votis
caelicolas voluitque sui solacia casus.
'Parcite,' ait 'superi, cunctas prosternere gentes:
15 stante potest mundo Romaque superstite Magnus
esse miser. Si plura iuvant mea volnera, coniunx
est mihi, sunt nati: dedimus tot pignora fati.
Civiline parum est bello, si meque meosque
obruit? Exiguas clades sumus orbe remoto?
20 Omnia quid laceras, quid perdere cuncta laboras?
Iam nihil est, Fortuna, meum.' Sic fatur et arma
signaque et afflictas omni iam parte catervas
circumit et revocat matura in fata ruentes
seque negat tanti. Nec derat robur in enses
25 ire duci iuguloque pati vel pectore letum.
Sed timuit, strato miles ne corpore Magni
non fugeret supraque ducem procumberet orbis,
Caesaris aut oculis voluit subducere mortem,
nequiquam, infelix: socero spectare volenti
30 praestandum est ubicumque caput. Sed tu quoque, coniunx,
causa fugae voltusque tui fatisque negatum
te praesente mori. Tum Magnum concitus aufert
a bello sonipes non tergo tela paventem
ingentesque animos extrema in fata ferentem.
Non gemitus, non fletus erat salvaque verendus
35 maiestate dolor, qualem te, Magne, decebat
Romanis praestare malis.